

Q. K. 379. 180.

II n  
6449

Ad Serenissimum Poloniae &  
Sueciae Regem,  
**SIGISMUNDVM III.**

Duae epistolae lectu dignissimae,

*I. CLEMENTIS VIII.*

*Papae Romani.*

*II. TATARORVM Chami.*

De BELLO MOLDA-  
VICO scriptae.



A N N O  
M. D. XCVI.



*Argumentum & occasio vtriusque Epistolæ.*

**T**RANSYLVANIA ad ortum contigua est VVALACHIA superior, inter Tyram, Pontum Euxinum, & Danubii ostia: Quam hodie, à fluuio mediam interfecante, MOLDAVIAM appellant. ad meridiem, VVALACHIA inferior, seu Transalpina adiacet. cuius oppida munita, Tergouissum, Bucarestum, & Girgio seu Georgii arcem, Danubio imminentem, à Sinano Bassa occupata, Sigismundus Bator Transylvaniæ dux, singulari animi magnitudine & felicitate, profligato Sinano, exeunte proximo mense Octobri, recepit. Adiunxerat is, superiore anno, Transylvaniæ, vtramq; VVALACHIAM, Turcorum imperio, annui tributi pactione, antea confederatas & amicas. Transylvano enim iugum Turcicum excutiente, vicinæ etiam provinciæ, libertatis studio accensæ, cum VVeiuodis seu præfectis se Transylvano coniungebant. Cumq; Aaron, Moldaviæ præfectus, se suspectæ & dubiæ fidei hominem à provincialibus remotum iri præuideret: Pragæ aliquantisper neglectus desedit. Transylvanus verò, alium VVeiuodam, Stephanum, virum fortem, Moldaviæ imposuit.

Qui dum provinciam gubernaret, Turcos tantum & Tartaros hostes, se habere existimabat. Promiserat enim Romano Pontifici Rex Poloniæ, etsi petitam societatem belli aduersus Turcas, cum Cæsare & Transylvano inire eo tempore, foederibus antiquis impeditis nequiret: nihil tamen eorum rebus se incommodaturum esse.

Cum verò Transylvanus, aduersus Sinanum Bassam, in VVALACHIAM summis cum copiis redeuntem, ineunte Octobri expeditionem susciperet: ecce præter omnem Pontificis, Cæsaris, & aliorum principum Christianorum expectationem, Regni Poloniæ exercituum Dux, ex Podolia, Tyram fluuium traicit, Cochzin munitionem occupat. Inde Sozinam metropolim petit, quam, Transylvani præfecto Stephano in loca tutiora se recipiente, cum tota ferè Moldavia, deditioe accipit. Eiq; nouum VVeiuodam, Regis Poloniæ auspicijs, Ieremiam quendam præficit, quem Imperatori Turcico tributum annuum, vt priores soliti erant, depensurum, & nihil aduersus eum hostile vnquam acturum: ab Imperatore Turcico comprobari petit. Venit paulò post in Moldaviam cum exercitu Tartarorum Imperator, cum quo aliquot velitationibus congressi Poloni, instituta colloctione pacem faciunt. cuius conditiones, ex literis magni CHAMI Tartarorum ad Poloniæ Regem, adiunctis: dilucidius ferè, quàm ex articulis, qui vulgò circumferuntur, cognosci possunt.

Romanus Pontifex, cum primum de Moldavia per Polonos occupata, & VVeiuoda nouo aduersus Transylvanum constituto, & communicatis cum Turca & Tartaro consilijs, accepisset: grauissimam hanc epistolam ad Poloniæ Regem instituit, qua dolorem suum, de his actionibus, aduersus fortissimum Transylvaniæ principem, tanto cum ardore & zelo, pro fide Christi aduersus Turcas propugnantem & Rudolphi Imperatoris socium & adfinem, & ipsius Poloniæ Regis sororium, à Polono susceptis, ingentem & acerbum ostendit, ac vt se, ad magis pia & humana, pacis & concordie cum Transylvano tuendæ consilia, Rex Poloniæ referat, hortatur, & in ea conficienda studium & fidem suam defert. Sed hæc ex ipsius Pontificiæ epistolæ lectione illustrata erunt. Nunc occasionem illius scribendæ, satis sit, breuiter indicasse.

# CLEMENS PAPA VIII.

*Charissime in Christo Fili noster: Salutem & Apostolicam benedictionem.*



Vo maiori paternæ dilectionis affectu  
Mtem Tuam in Domino complectimur,  
eò ardentius optamus, omnes actiones  
tuas summa pietatis & prudentiæ laude  
apud DEVM & homines cumulatas esse.  
Ex quò fit, vt tantò grauius & vehementius commo-  
ueamur, si quid eiusmodi audimus de te, quod à tua vir-  
tute & perspecto erga Catholicam Religionem zelo a-  
lienum esse, aut tui nominis gloriam obscurare videa-  
tur; Quale nunc allatum ad nos est, de rebus Moldauicis,  
quæ non sine magno doloris sensu ad te scribimus; atq;  
vt paulò superiora repetamus, Quanto studio & condè-  
tione tecum egimus, vt propter causam DEI & totius  
Christianæ Reipub. salutem & libertatem, à Turcarum  
immanitate defendendam, te ipsum cum Filio nostro ca-  
rissimo Rudolpho, Imperatore electo, cæterisq; Chri-  
stianis Principibus coniungeres, & tam insignem occa-  
sionem, tam præclare de DEO, de Fide Catholica, & de  
nomine Christiano merendi, ne dimitteres.

Ac licet tum, ob nonnullas tuas, & regni istius priua-  
tas rationes dissimulandum, tibiq; compatiendum esse  
existimarem, si minus apertè in eam Christianorum  
principum coniunctionem, contra infensissimum &  
communem hostem, nunc quidem descenderes, neue ad  
eius audaciam coercendam vires tuas adhiberes, & ad-  
iumenta palàm subministrares: temper tamen illud pro  
certo habuimus, nihil omninò impeditenti à te allatū

iri, quò minus & Cæsar & alij Christiani Principes suas iniurias iustè prosequerentur, & iugum sæuissimi Tyranni, cuius dominandi auiditas nullis finibus continetur, à suis ceruicibus depellerent. Vt autem ipse Catholicos principes & Christianæ fidei defensores, in Turcarum gratiam oppugnare, teque cum inimicis crucis Christi ita copulares, vt tua ope, eorum furor & vis augetur, nostri non solum debilitarentur, atque in ipso victoriæ cursu retardarentur, sed in grauissima pericula conjicerentur: hoc de te non modo non cogitauimus, sed ne leuiter quidem suspicati vnquam sumus: quin & nunc vix adduci possumus, vt ea, à te vix acta credamus, quæ tanquam vera & indubitata referuntur.

AIunt enim te cum Turcis & Tartaris communicatis consilijs conspirasse, & nominatim contra dilectum filium nostrum, nobilem virum SIGISMUNDUM Transiluanie principem, qui prælia Domini magno animo præliatur. Etenim ne illi hostis superbissimi impetum conatusque infringere liceat, quod hætenus singulari Dei auxilio super virilem partem est consecutus, sed vt potius rebus suis plurimum timere cogatur, triumvirum auctoritate & consensu, nouum in Moldauia prouincia Waiwodam & principem constitutum esse, & à Turcis, à Te, & à Tartaris simul illum Moldauie præfici. Quæ adeò nobis noua & inexpectata, & præter omnem nostram de te opinionem, atque adeò à tua pietate, & prudentia, visa sunt aliena, vt præ dolore & admiratione penè cum Propheta exclamemus, Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer? Quid enim à nostra & bonorum omnium expectatione alienius, aut quid magis incredibile suspicari, cogitariue potest, quam SIGISMUNDUM Poloniae

loniæ & Sueciæ Regem religiosissimum, qui se Catho-  
licæ Religionis propugnatores accerrimum semper est  
professus, qui victoriam populi Christiani de teterrimis  
inimicis & gloriam crucis vel proprio sanguine redi-  
mere paratus esset, hunc adeo sui dissimilem repente ef-  
fectum, ut sacri illius belli spem & felices progressiones,  
quantum in eo est, abrumperet, & ut Christiano & Ca-  
tholico principi detrimentum inferret, non reculare foe-  
dus & amicitias inire, etiam cum efferatis Barbara im-  
manitate gentibus, suisque proprijs & regni Poloniæ  
perpetuis hostibus Tartaris. Quas ob causas, tanta do-  
loris acerbitate cor nostrum discruciat, ut facere non  
potuerimus, quin ad te literas per celerem tabellarium  
hac de re daremus, ut vim mœroris nostri inspiceres,  
tantò citius, & nos, quæ noster paternus in te amor po-  
stulat, tibi in tam graui causa, mora abiecta, significare-  
mus. Nam & certum quoque hominem huius rei  
causa fortasse ad te mittemus: angit enim nos hæc solli-  
citus supra quam dici possit vehementissime.

Itaque te fili carissime hortamur, & quanta maxima  
possumus efficacia monemus & obsecramus in Domi-  
no, ut consideres attentius, quantam DEI & bonorum  
omnium offensionem hæc tua actio & deliberatio in-  
currat, quantam Coronæ tuæ maculam inurat. Crede  
enim nobis, qui tibi parentis loco in Christo sumus, qui  
te non fictè sed verè diligimus, qui tuam in hoc seculo  
gloriam, in futuro æternam felicitatem optamus: Cre-  
de nobis, magnam hoc famæ tuæ apud reges & princi-  
pes Christianos labem inurit, grauius omnes ferunt, &  
tanquam monstro simile detestantur, tua causa fieri,  
ne res Christiana prosperè geratur: ne princeps gene-  
rosus, qui se deuouit propter Christum, felices habeat

progressus, in hoc bello tam pio, tam necessario, contra infideles Turcas & Tartaros, non minus tuos, aut fortasse etiam magis, quam illius & caeterorum Christianorum principum hostes.

Sed quid dicimus? Transyluani principis progressus impedire,, parum hoc esset; immo vero in summum periculum conjicitur, & Turcarum furori objicitur, ac propemodum traditur: atqui princeps non solum Christianus & Catholicus, & pro fide bellator fortis, quae virtus & inimicis admirabilis & amabilis esse solet: sed sororius tuus, tot propinquitatis vinculis tecum coniunctus, cuius liberi liberorum tuorum fratres erunt.

Quid agis fili carissime? vide, ne te omnes homines viuentes & posterum summam inhumanitatis condemnent: Sed uide adhuc magis, ne in cognatos solum, sed in Deum ipsum, qui te duobus amplissimis regnis & tot bonis cumulauit, parum gratus, parum pius fuisse uidearis: neue illum, qui reprobat & dissipat mala & iniusta consilia, contra teipsum ad iracundiam prouoces: Et hoc quod fratri tuo malum intulisti, in tuam & regni tui perniciem maximam (quod absit) iusto Dei iudicio redundet. An tu putas, Transyluano oppresso, te à Turcarum insidijs tutum fore?

An tu foedifragum illum ignoras? qui omnia sua utilitate metitur, qui nulli seruat fidem, nisi ex sui commodi regula, qui omnia regna insatiabili cupiditate appetit, immo totius Christianitatis interitum sitit.

Cogita etiam fili, quanta electo Imperatori propinquo tuo iniuria inferatur, è cuius Augusto sanguine, filios & haeredes suscepisti, pro DEI gratia; & suscipies.

Quin

Quin etiam nostra, & huius Apostolicæ sedis, quam  
adeò deuotè semper coluisti, dignitas læditur, & mater  
tua carissima, quod te minimè omnium velle scimus,  
Romana Ecclesia offenditur, quæ huius sacri belli ge-  
rendi causa, maximos & intolerabiles sumptus subit.  
Nostrorum autem viribus, quæ à te subleuandæ & au-  
gendæ erant, tam alieno tempore, per hos Moldauia  
motus distractis atque imminutis, contra hostium auctis  
& roboratis, in quæ discrimina & angustias exercitus  
noster Ecclesiasticus & Cæsarianus possit incidere: &  
quantoperè totius belli huius ratio & administratio  
perturbetur, nemo est qui non videat.

Sed & illud accedit, quod ad nostram & huius sanctæ  
sedis dignitatem non mediocriter pertinet, Nos caris-  
simo filio nostro RVDOLPHO, & SIGISMUNDO  
recepimus, & pro certo polliciti sumus, Regiam Matrem  
tuam, nihil omnino impedimenti aut perditionis eorum  
rebus allaturam, neque hoc leuiter confirmauimus, sed  
gravi admodum ratione, non ex eo solùm, quod ita de  
te nobis polliceri, in tam causa iusta, meritò debuimus:  
Sed quia à venerabili patre Episcopo sancti Seueri, no-  
stro apud te Apostolico nuntio, id expressè & diserte  
ad nos perscriptum est, quem & nobis fidelem, & tui  
studiosum scimus, neque vlllo modo in dubium vocare  
possumus, quia ille ad nos de tam graui re scripsit, ex  
ore tuo accepisse.

Quæ cum ita se habeant, cum multiplicem huius rei  
gestæ absurditatem, ex omni parte, ne atrocitatem di-  
camus, ipse videas: te iterum ac sæpiùs rogamus, vt his  
incommodis, quæ necessaria sunt remedia, quam pri-  
mùm adhibeas, Principem Transylvanum sororium tu-  
um tibi addictum, tuæque beneuolentiæ cupidum, tuo

patrocínio foueas, aut certè illi ne noceas, imò toti Christianæ Reipublicæ: neue Christi hostium caussam vlla ratione subleues.

Quod si quid controuersia cum Sigismundo principe habes, aut aliquid ab eo desideras, id ad nos, hoc est, ad patrem tuum amantissimum deferas. Scis, tuas res cordi nobis esse; maxime speramus; DEO auctore, facile fieri posse, vt commodè aliqua ratio ineatur, qua inter vos pax & tranquillitas conseruetur, & inter duos fratres, filios nostros, vera concordia coalescat, omnisq; radix amaritudinis ex eorum animis penitus euellatur.

Hæc, ad te, fili, liberè & aperto cordis sinu, sed certè dolenter, scripsimus, quia te amamus, & de tuo honore ac solida vtilitate solliciti sumus. Tu re ipsa

ostende, te sic illa accipere, vt à patre scripta, ita, vt nostras paternas & salutare cohortationes, aliorum minùs pijs consilijs omninò anteponas. Cæte-


ra hoc de genere intelliges ab eodem Episcopo & Nuntio apud te nostro, cui de more fidem omnem habebis, perindè ac

nobis ipsis. Datum Romæ,

Die VIII. Nouembris, An-

no Pontificatus nostri


Quarto.





Exemplar literarum Tartarici CZARY  
( vt vulgò appellant ) ad Serenissi-  
mum Poloniae Regem, ex eo-  
rum lingua in latinam  
translatum.

CHAM KAZIKIEREY.

 Agnorum Dominiorum inter  
Christianos, Regi Poloniae &  
Sueciae, fratri nostro, humiliter  
frontem inclinamus. Signifi-  
camus inprimis, Aaronem Palatinum, pro-  
ditorem & perfidum fuisse, qui collecta Vua-  
lachorum manu, iunctisq; sibi Hungaricis  
Cozakis, ortis deinde inter ipsos disidijs,  
Vngarici Kozaci in VValachia degentes,  
Aaronem in vincula coniectum ad Regem,  
VViennensem transmiserunt. Successit huic  
quidam postea proditor Rozuvan, qui eti-  
am collectis aliquot militum signis, cepit in-  
festare vicinas ditiones magni Turcarum  
Imperatoris: Quod ubi ei significatum est,  
Icripsit ad me fratrem suum, ut quanto citius  
A S VVala-

VValachiam petam, omnes hos perfidos puni-  
am, villas domosq; comburam, & maribus  
ferro deletis, uxores liberosq; in servitu-  
tem abducam.

Hoc in mandatis habens, ego magni domi-  
nij magna Orda, magnus Chamkazykerey,  
cum fratre meo Ietikerey, Galga, ceterisq; fra-  
tribus meis, & consiliarijs, Ducibus. & Mur-  
zis bellicosus & magnanimis, equo meo con-  
scenso, unà cum exercitu meo, venimus in  
VValachiam ad Pruti flumen, ubi cum alio  
flumine Cocora dicto iungitur.

Hic incidimus in fidelem Mtis. vestra Ser-  
vitorem, fratrem nostrum Cancellarium, qui  
etiam paulò prius, quàm nos, in VValachi-  
am venerat, cum quo post leuem altercatio-  
nem, ubi lenius agere cœpi, significavit mihi,  
se ideò in VValachia versari, ut ex antiquo  
Polonia iure, Palatinum VValachia resti-  
tuat, nullo præiudicio factò de pactis & fœde-  
ribus, quæ cum magno Turcarum Imperato-  
re habentur. Cupereq; se, ut Hieremias, quem  
iam Palatinum constituerat, ius in eam di-  
tionem

tionem obtineret, amicitiaq; vetus, qualis  
sub Sultan Solymanno, Chamoq; Davvleth-  
gerdo fideliter servetur.

Quod cum ego pro mea parte me facturum  
iurassem, illeq; similiter idem à suis, quos ad  
me miserat, iurari fecisset: Decrevimus si-  
mul, ut Kozaci trans Nistrum, homines in-  
solentes & seditiosi penitus deleantur & era-  
dicentur, ne deinceps vlla damna ditionibus  
magni Imperatoris inferre possint. Dona  
præterea, quæ olim iam inde à Solimanno mit-  
ti nobis solita erant, ne amplius detineantur,  
nullaq; in posterum damna nostris ditionibus  
inferantur.

Cum itaq; nobis promississet Dominus Can-  
cellarius, curaturum se, ut Kozaci funditus  
deleantur: consensi & ego, ut ex voluntate  
vestra Regia Mtis, fratris mei, Hieremias  
Palatinatum VValachia retineat, quod et-  
iam statim ad magnum Turcarum scripsi  
Imperatorem. Quod si consensum Mtas  
vestra suum præbuerit ad ea, quæ nos cum Do-  
mino Cancellario hic decrevimus, tunc me-  
cum

atq; una cum fratre meo, caterisq; omnibus  
belli Ducibus & Murzis, aeterno tempore  
amorem fraternum conciliabitis. si verò Ko-  
zakos non deleueritis, tunc vos nec iuramen-  
to nec pactis satisfacietis. Hæc mandavi-  
mus Legato fratri nostro Gianachmetagra,  
Mti vestra exponenda, quem ut Mtas ve-  
stra benignè accipere, donaq; per eum nobis  
transmittere velit, petimus, neque enim  
iam alium hoc anno mittemus.


Data ad flumen Prutum.

Anno Machometis,

Millesimo Quarto

Mense Octob.





B.I.G.

Farbkarte #13

Q.K. 379, 180.

II n  
6449

Ad Serenissimum Poloniae &  
Sueciae Regem,

# SIGISMUNDVM III.

Duae epistolae lectu dignissimae,

I. CLEMENTIS VIII.  
*Papae Romani.*

II. TATARORVM *Chami.*

De BELLO MOLDA-  
VICO scriptae.



A N N O  
M. D. XCVI.

